

## EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS  
TEL:02/734 55 42

# Cur Latine discamus hodie...



*Belgae, cum usque finem mensis Iunii in Consilio Europaeo praesiderent, statuerunt Bruxellis per quadriduum Foedus Europaeum ante triginta annos Romae subsignatum festivo commemorare: magnus fuit populi concursus ad arcum triumphalem Quinquagenarii, ubi habebantur variae expositiones et agebantur diversi ludii scaenici. De linguarum problemate in Europa silentium officiale erat totum; in factis tamen spectate titulum electum:*

**EUROPEAN FESTIVITIES**

**EUROPAE DIES FESTI,** et brevius et Europae aptius fuisset.

**Nescimus!** Si quis auscultaverit vel legerit quid de lingua Latina censeant non tantum ei qui nostris temporibus opinionem communem informant sed ei ipsi qui linguam Latinam docent, hoc tantum inferre poterit: quot capita, tot sensus!

Cum Francogalli linguam Latinam et Graecam docentes conventum generalem praeparent, proximo mense Novembri Strateburgi (sive Argentorati) habendum, ubi disputandum erit de linguarum antiquarum loco in hodierna societate humana, haec occasio mihi videtur peropportuna ad eorum sententiam patefaciendam, qui Vivae Latinitatis Motum sequuntur.

Patricius Bougy, quocum amicales consuetudines iunximus, Cadomensis consociationi linguas antiquas docentium (A.P.L.A.A.C. sive Association des Professeurs de Langues Anciennes de l'Académie de Caen<sup>1</sup>) praesidet, cuius partes sunt scholarum secundariarum necnon superioris institutionis docentes. Circiter 26 eiusdem generis consociationes iam exstant, in diversis Francogalliae regionibus institutae, quae ad vires coniungendas recenter foederationem constituerunt cui titulus C.N.A.R.E.L.A. (Coordination Nationale des Associations Regionales de Langues Anciennes<sup>2</sup>).

Patricius Bougy periodicas Cadomensis consociationis tabellas ad nos mittere solet, quarum recentissimus fasciculus (n<sup>us</sup> 19) non tantum copiosus sed etiam periuicundus est. Multa ibi referuntur de regiminis Francogallici propositis ad institutionem pertinentibus, de consociationum inceptis paedagogicis, de libris Francogallicis, quorum argumetum ex Antiquitate haustum est. Ibi etiam Patricius Bougy de utilitate Latine loquendi in schola scripsit; in Iulio Marouzeau nitens, autumat pronuntiatum restitutum non partim sed integrum respiciendum esse. Symbolam suam concludit his verbis: "Lingua Latina in institutione secundaria tantum manebit -quin etiam manere digna est- si nos, magistri, eam velut linguam veram proponimus..." Ibi etiam legitur relatio primi foederationis C.N.A.R.E.L.A. conventus, Lugduni habiti (28-30 Oct. 86), quo Rudentis pellicula exhibita est et participibus maxime

placuit, id quod nobis certe non est ingratum. Quamquam Cadomenses tabellae Francogallice totae conscribi solent, in n° 19° exhibetur symbola Latine scripta a Sigride Albert, optima Societatis Latinae sodale, c.t. "De statu condicionibusque latinitatis quae in Germania Foederata inveniuntur". Sed ad maximi momenti nuntium veniamus oportet, id est :

C.N.A.R.E.L.A.  
ETATS GENERAUX DES LANGUES  
ANCIENNES  
STRASBOURG

5,6,7 novembre 1987

Qui conventus generalis ut fieret proposuit Claudius Aziza exeunte anno 1986°.

Ab initio tamen diversae sententiae prolatae sunt de rebus in conventu tractandis; inter regionalium consociationum legatos, alii (v.g. Cadomenses, Strateburgenses) praeferebant conventum ad consociationum usum internum instructum, ubi cogitaretur et disputaretur de linguarum antiquarum loco momentoque in nostra societate humana; alii (praecipue Claudius Aziza) optabant conventum praestigiosum, qui, notissimis hominibus ad palam loquendum invitatis, praeconium fieret externum. Cadomenses (Patricius Bougy) et Ambiani (J.J. Bertrand) proposuerunt ut etiam institueretur mensa rotunda, circum quam disputaretur "De lingua Latina in Europa". In fine mixtum programma confectum est.

Scitu dignum est, iam ante foederationem CNARELA conditam, cum vix ulla consociatio regionalis exstabat praeter Vesontinam, Conventum generalem de linguis antiquis docendis institutum esse anno 1979°. Consociatio Regionalis Vesontina (Besançon), anno 1974° condita, quae constat fere ex omnibus, qui in Burgundiae Comitatu (Franche-Comté) materias classicas docent, tunc textum conscripsit et divulgavit, cui titulus "Vesontinae Theses" (Les Thèses de Besançon). Opiniones, quae ibi exhibebantur, plerique Francogalli linguas antiquas docentes assentiebantur, quin etiam adhuc assentiuntur. Cum unum ex proximi Conventus Generalis Strateburgensis consiliis sit de "Vesontinis Thesibus" recogitare, earum praecipua argumenta perpendamus oportet. Quae argumenta in

sequenti textu dilucide apparebunt crassioribus characteribus signata.

In prooemio, auctores proponunt ut linguae classicae partem habeant cuiusdam excogitandi "**pleni propositi culturalis**" (Projet culturel global), quo coniunctae diversae disciplinae aequales nostros educare valeant.

Timendum vero est ne diutissime expectandum sit tale propositum culturale; institutionis enim ordinandae arbitrium ad homines politicos pertinet, non ad docentes; hi istis demonstrare debent quid adolescentibus prosit linguarum antiquarum institutio. Hac in re duplex oritur difficultas; una ex parte, diversae sunt partes politicae et inter se dissentiuntur de institutionis fine; ex altera parte, ipsi docentes videntur timidi, divisi, incerti an valeat sua ipsorum doctrina.

"V. Th." auctores scribunt "plenum propositum culturale" eo pertinere debere **ut nostrae aetatis homines formet**. At hoc consilium nimis vagum est : Quales enim inter aequales sunt formandi ? Totius orbis terrarum homines an solum Francogalli ?

Cum **numerus discipulorum, qui linguis classicis student, pedetemptim iterum crescat**, "V. Th." auctores causas perpendunt cur fiat haec

frequentia.

Duas praecipuas inveniunt : **discipuli vel eorum parentes egent "insignibus socio-culturalibus" (signes socio-culturels) vel obstare volunt "pragmatismo" institutionis solum aptatae ad oeconomiam technicam, quae promissa iam non exsolvit** (réaction au pragmatisme d'un enseignement au service d'une économie technique en perte de vitesse). Tertiam fortasse causam detegunt, maxime perniciosam : sunt discipuli, qui linguas classicas discendas eligunt, propterea quod hae materiae iam non obligatoriae, segniter et leviter disci possunt, sinentibus multis magistris, qui hoc modo discipulos ad suam disciplinam allicere conantur.

Summam quaestionem adeunt "V. Th." auctores "**Quae est linguarum antiquarum utilitas ?**" et respondent : "**Huic quaestioni numquam definitivum responsum datum est a XVII° saeculo, cum incohata est "pugna de Latino sermone" (la bataille du latin).**

Qua tamen in sententia inest clavis problematis. Nam, cur XVII° s. incohata est haec pugna? Quia a XVI° Francogalliae reges ad singularitatem sui regni augendam suum dialectum Francogallicum ubique imposuerunt etiam in studiorum universitatibus. Id quod non sine molestia factum est. Doctis enim tunc multo facilius erat de suis doctrinis scribere et alumnos docere Latine quam sermone vernaculo. Tunc docti grammaticam Francogallicam etiam creare debuerunt, ut lingua vernacula quandam stabilitatem adipisceretur. Lingua Francogallica in omnibus institutionis provinciis adhibita, cur pergere linguam Latinam discere ? Quae quaestio urgentior fiebat XVIII° s., Francogallia in Europa praepollente, quia lingua Francogallica videbatur linguam Latinam in commercio inter gentes submovere posse.

Quare a XVIII° s. orti sunt "defensores" linguae Latinae, qui argumenta excogitaverunt, quibus demonstraretur linguam Latinam in scholis docere necessarium esse. Quae argumenta adhuc immutata sunt: lingua Latina adolescentium mentes bene format et eis meliorem linguae Francogallicae intelligentiam dat.

Etsi homines sint (etiam Latine docentes; cfr Melissa 18 "De colloquio Wegimontano II"), qui haec argumenta obsoleta et infirmia ducant, patet tamen ex longo usu disciplinam linguae Latinae et Graecae multum discipulis prodesse. Quis linguae Francogallicae arcana intellegere potest, nisi Latine et Graece eruditus ?

Sed de qua lingua Francogallica loquimur ? Obstupefactus legi in "Vesontinis Thesibus" linguam Francogallicam Ioannis Racine, inter linguas Sumerianam, Sanscriticam et Latinam, haberi mortuam. "Vroum Vroum mais pas glou glou !", id quod ipse legi in magnis praeconiis tabulis Lutetiae Parisiorum propositis, estne specimen linguae Francogallicae futurae ?

Etiam populi, quorum lingua non pertinet ad nostram stirpem Indo-Europaeam, existimant perutile esse linguam Latinam ante discere quam quendam sermonem vernaculum Europaeum aggrediantur. Apud Finnos, v.g. non licet in studiorum universitate quancumque linguam Europaeam discere, nisi eis qui linguae Latinae diploma obtinuerunt. Idem censent Iapones.

Maxime miranda videtur "V. Th." conclusio quae tota est haec : "**Linguis antiquis studere locum habere debet in pleno proposito culturali, cuius**

sequitur p.7

## IOSEPHUS-MARIA MIR

### DIANA LICOPPE CUM IOSEPHO-MARIA MIR DIALOGUS

*Iosephus Maria MIR, Hispanus, nunc vitam Romae degit, ubi eum bis breviter ante paucos annos convenimus. Est vir cuius affabilitas par est scientiae Latinae. Per multa per multos annos pro Latinitate viva fecit et praecipuus scriptor commentariorum Latinorum, PALAESTRA LATINA inscriptorum, fuit. Plurimum incubuit in opera lexicographica atque semper magnae curae et fuerunt verba nova Latina fingenda. Eius novissimum opus est lexicon bilingue, cum C. Calvano compositum, quod anno 1986° una ediderunt domus editoriae Mondatori et ELI. Cuius lexi frontem hic exhibemus. Ad eum litteras interrogatorias misimus, quibus benigne respondere dignatus est.*

*"Velim respondeas, Pater, ad ea quae te rogo: commentariis recentioribus saepe memoratur et fama nobilis est commentarius Hispanicus Palaestra Latina. Abs te quaero: quae fuit illa, a quo condita, quid pro excolenda lingua Latina effectit?"*

*Multa paucis verbis interrogasti. Quibus modo tibi responsum non dabo, cum aquam, ut dicitur, a principio seu a primo fonte hauriamus oportet.*

*Ecquis est ille reconditus fons de quo loqueris?*

*Studium et ardor quidam amoris in linguam Latinam enatus est, ferbuit, propagatus est primum a Candidato Latino.*

*Neque verbum de hoc novo commentario Latino audieramus. Quis fuit huius operis conditor et auctor?*

*Candidatum Latinum condidit P. Emmanuel Jové, Cordis Mariae Filius seu Claretianus: qui tunc Cervariae morabatur in ea domo, quae fuerat quondam scientiarum Academia seu studiorum Universitas, ut vulgo semper est appellata.*

*At illa Universitas, de qua tu agis, ubi exstat, in qua regione Hispaniae?*

*Ut recte dicis, Cervaria est urbs Hispaniae, in regione Catalaunica, quae ab Ilerda -de qua Caesar in libro de Bello Gallico agit (1,41,2)- pauca chiliometra distat. Haec regio a Lacetanis olim occupata dicitur.*

*Ecquis hanc Universitatem condidit?*

*Philippus V, Hispanorum rex: qui cum ortu et natione Gallus esset, multorum civium Hispanorum repulsam et odium in se convertit, et haud pauci fuerunt qui partes Caroli archiducis ab Austria sequerentur. Ille autem -Philippus-, quia cives Cervarienses partes suas in Catalaunia secuti sunt, dicitur eos quasi praemio studiorum Universitate donare voluisse; aliisque in universa regione suppressis academicis, anno 1718 lapis inauguralis positus est, ac publice et sollemniter anno 1740 cursus academicus apertus est.*

*Quid deinde accidit? Cur haec narras?*

*Multi sique praeclari viri ibi docuerunt aut in ea studiorum sede edocti sunt disciplinas humanas,*

*philosophicas, theologicas. Sed tempore procedente, res penitus mutatae sunt. Universitas in principem civitatem Barcinonensem restituta est, et amplum Cervariense aedificium desertum est aut in alios hominum usus commutatum.*

*Quid tandem?*

*Multis superatis difficultatibus perampla domus Congregationi Missionariorum Immaculati Cordis Mariae concredita est: cuius Pater Generalis, Iosephus Xifré, eam anno 1887 accepit,*

*Quid ergo in ea urbe, in ea Universitate P. Emmanuel Jové agebat?*

*Ibi profecto ab incepto anno academico 1925-1926 morabatur.*

*In eam peramplam domum congregati sunt alumni gymnasii superioris e collegiis claretianis qui anno superiore Vici, Alabonae, Barbastri disgregati erant, ut, optimis docentibus magistris, litteras Hispanicas, Latinas, Graecas omnes edocerentur. Ipse -P. Joveus- alumnis tertii anni gymnasii linguam Latinam tradebat. Hic cursus in discenda lingua Latina praecipuus erat cum graviores difficultates alumni iam superaverant et scripta seu compositiones libenter exarabant. Vici, et tunc Cervariae, Ioveus noster multorum alumnorum dux fuit et magister.*

*Sed ille tantum, erat magister?*

*Cum eo erat P. Franciscus Moran, ultimi cursus Latinitatis et rhetoricae magister, et P. Andreas Herrera praeceptor linguae Graecae.*

*Qua ratione linguam Latinam docebant?*

*Sed primum, id tibi significabo: Pater Jové, cum Vici morabatur, non tantum in classicos scriptores impense incumberebat, sed commentarios qui lingua Latina tunc edebantur, libenter legebat.*

*Qui erant hi commentarii?*

*Romae exeunte saeculo duodevicesimo, id est ab anno 1898 Vox Urbis edebatur: in qua egregii Latinitatis studiosi et magistri sese exercebant, de multis agebant Latine; ibique pars erat seu "sectio" in qua nuntia referebantur de iis quae in orbe terrarum accidebant. Sed ab anno 1914, diversis de causis fortasse ut ipse commentarii conspectus seu facies aptior et iucundior prodiret, in Alman Romanum mutata est. In quo commentario P. Jové interdum scribebat. Saepe cum Andrea Haberl, qui se ipse Latine fecit Avenarium, e Sociis Verbi Divini, de rebus et novis verbis disputabat, ad eum epistulas dabat: qua de causa inter eos "Commercium epistulare" institutum est. Epistulae horum magistrorum de lingua Latina deque novis verbis magni fuit momenti et magnam in animis legentium expectationem incitabat.*

*Et quid accidit cum P. Jové ab urbe Vico in Universitatem Cervariensem translatus est?*

*Ibi a fratribus impulsus eorumque opera suffultus, cogitavit de edendo commentario Latino*

apud nostrates, id est in collegiis claretianis: in quo adulescentes sese exercere in lingua Latina excolenda: quod propositum ad effectum adducere toto pectore curavit.

*Sed qui erant qui huic operi suffragabantur?*



Primus omnium, ipse Superior Generalis, qui in primo libello litteras scripsit - "Verba auspiciatissima"- ad omnes familiae claretianae socios; P. Antonius Soteras, tunc Provinciae Catalaunicae Superior, P. Fridericus Codina qui communitatem Cervariensem moderabatur. Sed ardor et inflammatio in primis animos scholasticorum incitavit qui extremos theologiae cursus peragebant: in quibus haud pauci numerabantur qui alumni Patris Jové Vicī fuerant, et magno ardore in exsequendum propositum se totos devoverunt.

*Quid ergo?*

Itaque, cum rem in animo suo ponderasset, tantorum auxiliis adiutus, in bonum linguae Latinae, in altiore conformationem in universa Congregatione, Calendis Ianuariis anno MCMXXVIII, primus fasciculus prodit commentarii qui titulo Candidatus Latinus est insignitus.

*Ecqui fuerunt praecipui scriptores?*

Conditor et moderator fuit Emmanuel Jové; scriptor primarius Franciscus Moran. Scholastici plures numerantur: in quibus egregii sunt Alfonsus Gonzalez, Henricus Martija, Marcellinus Fernandez, Leander Fanlo, Thomas Planes, Iulius Leache. Patres Cl. Ramos, theologorum praefectus, Philippus Calvo praefectus alumnorum gymnasii. Qui omnes in eandem metam assequendam accenso ardore operam dederunt.



*Et quas rerum materias seu disciplinas in novo commentario tractaverunt?*

Haud pauca, cum in primo fasciculo proponatur "Multiplex commentarii argumentum": ibi multae designantur res tractandae. In eo libello vulgantur Nova et vetera: in his adumbratur et describitur laconicum, proponuntur vehicularia; instituitur "Commercium epistularum"; referuntur "Grammaticalia": regulae traduntur de nominum generibus; prodeunt compositiones seu "Exercitationes scholares"; "Palaestricus cum ephelis suis colloquitur; eventus nuntiantur sub nomine "Chronica"; certamen scholasticis linguae Latinae nuntiat. Eadem fere in sequentibus fasciculis: vulgantur "Lectorum voces"; Nova et vetera ubi in altero fasciculo profertur dactylographum cum omnibus rei dactylographicae nominibus; "Dialogus de laconico in schola"; "Adnotationes rhetoricae in descriptionem veris" - locus ex Ovidio excerptus-, alia.

*Quot annos Candidatus Latinus editus est?*

Ab ineunte anno 1928 ad mensem Iunium anno 1930, alternis mensibus per curriculum academicum; duodecim fasciculi in vulgus sunt propositi.

*Quid anno 1930 accidit?*

Ineunte anno academico 1930-1931 tandem Palaestra Latina prodit; a multis Pater Jové incitatus ut ex recondito loco in manifestam lucem sese ostenderet. De qua Palaestra alias, Deo iuvante, agemus vobiscum."

## DE UNIONE EUROPAE POLITICA

SIVE

DE EGOISMIS NATIONUM EUROPAEARUM SUPERANDIS

conscripsit **Guilelmus Blum Monacensis**

### I

Anno post Christum natum millesimo nongentesimo septuagesimo nono primae factae erant electiones eorum, qui in Parlamento Europaeo adessent, et quinque annis post secundae habebantur electiones: quae sexto quoque anno iterarentur optaverant ii, qui id egerant, ut fierent eae electiones. Inter omnes vero constat ante eas electiones quas "directas" vocant multos iam impetus esse factos, attamen istis electionibus novus, ut ita dicam, liber Europae uniendae est revolutus (vide etiam quae decima pagina sextae decimae MELISSAE editionis dixeram).

Multa tamen sunt, quae quominus unio Europae politica quam celerrima fiat, impediant, ex quibus aliqua nunc nobis erunt inspicienda.

### II

Primum de Parlamento ipso nobis est deliberandum. Parlamentum enim doctores scientiae rerum politicarum compluribus fungi debere officiis nos docent: et docendi et informandi et repraesentandi officia maximi nobis esse momenti videntur. Huc vero accedit, ut parlamentarii spectare et probare cogantur, quae gubernatores perficiant: gubernatores igitur sine repraesentantibus perficere nihil -vere nihil!- possunt -id quod species atque genus liberae rei publicae omnibus esse videtur.

Si vero quaerimus, quid Argentorati Luxemburgi Bruxellis parlamentarii Europae uniendae perficiant, confitendum nobis est non omnibus illos Parlamenti officiis fungi.

1) Docent Europaeos unionem esse necessariam, ut Europae quam vocant Occidentalis fines sensu politico concrecant. Quod ut fiat, et Conservativi et Liberales et Communistae optant; sunt tamen qui unionem esse necessariam negent.

2) Informant parlamentarii Europaeos, qua ratione quave via ad hanc unionem perveniant. Attamen magno cum dolore palam confiteri cogimur permultos ex iis, qui Europae regiones inhabitant, ea informatione carere et, quod peius est, hanc informationem sibi fieri nolle ideoque ne informentur recusare.

3) Repraesentantur Europaei per illos quos elegerant, sed quanti iuribus eligendi functi sunt? Quotus enim quisque repraesentantes elegerat? Quae cum ita sint, parlamentarii et docere et informare Europaeos debent, ut quam plures electionibus interesse velint scientes suam cuiusque rem istis electionibus fieri!

4) Non vero usque adhuc existunt Res Publicae Europae Unitae. Quare parlamentarii Europaei ne officiis suis maximis fungantur impediuntur: nequeunt enim perspicere vel probare, quid gubernatores perficiant. Quare? Quia gubernatores non sunt!

Haec vera et maxima nobis esse videtur

difficultas eorum, qui repraesentantes electi erant. Qua re non raro dicunt homines in Parlamentum Europaeum mitti solos eos, quos factio in suo territorio repraesentationis frui officio vetet; quae opinio cum falsa sit, tamen luce clarior est causa, cur exprimat.

Est enim Parlamentum Europaeum non idem atque cetera parlamenta nationalia. Tamen cum vi et gravitate qua par est profiteri volumus Parlamentum istud quasi initium vel principium esse factum unionis Europaeae: finis enim Parlamenti istius situs est in erectione gubernatorum, id est in proclamatione Rerum Publicarum Europae Unitarum. Quae quando fiat, incertum est, sed certo scimus illum esse finem. Et cum illum sciamus finem, grato afficimur animo.

### III

Sunt etiam in Parlamento Europaeo, qui Unionem istam fieri nolint; sed qua re quave ratione membra sunt Parlamenti istius? Nomina reddere nolumus, sed quaestio iteratur: quare adsunt in Parlamento qui ab unione Europae politica abhorreant?

### IV


In omni hominum societate idem videri potest, egoismum dico. Omnes enim id agere videntur, ut quae sibimetipsis utilia sint fiant, et alterum despiciere eiusque utilia negare. De istis quas vocant psychologicis difficultatibus Cicero iam optime disseruerat, cum paragrapho sexagesima quarta tertii de officiis libri haec pronuntiabat verba: "Vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini" -et verbis istis sententia Ciceronis finita non est, sed prosequitur auctor qua est et philosophica et politica gravitate: "certe istum virum bonum non facile reperimus".

Quod autem ad quaestionem nostram pertinet, hoc est: sicut non facile reperitur vir bonus, difficile est inventu rem publicam, quae egoismo renuntiaverit. Attamen Unio Europaea numquam fiet nisi egoismo nationali deposito...

1) Initium unionis iam anno quinquagesimo septimo nostri saeculi factum erat in urbe Romae celeberrima, qua congregati erant moderatores Belgicae Hollandiae Luxemburgi Galliae Italiae Germaniae. Quo initio id unum vere effectum est, ut numquam species vel ut Platonis verbo utar idea Europae uniendae oblivioni praebatur. At sequentibus annis usque ad nostra hodierna tempora sex ceterae nationes ut collaborarent optaverant, et nostro quidem anno Turcorum moderator ut sua natio associaretur Europae Politicae rogabat.

Quod vero ad Turciam attinet, nemo dubitat, quin Europae nationes recusent, ne membrum unionis fiat totis iuribus usum. Causa autem eadem

sequitur p. 7



## Dantis iter in Deum

Bibliotheca Melissae perpulchrum librum nuper accepit: est Dantis Divina Comoedia, quam Ioannes Ambrosi in Latinum sermonem lautissime vertit (AMBROSI G., *Dantis Iter in Deum*, Torino 1965).

Ex hac damnatarum animarum pompa selegimus narrationem cuiusdam caeci amoris. Lege, lector, tristissimam historiam Franciscæ de Polentanis et Pauli Malatesta quos, amore captos, necavit Ioanciotus Malatesta, Franciscæ maritus fraterque Pauli.

Hinc mihi Vergilius celebres mille amplius Umbras monstrabat digitis, nomine quamque suo;

atque ita, dum veteres memorat dominasque virosque, incubuit pietas, ut quasi deficerem.

"Illis sponte loquar", coepi, "quos poena revolvit, spiritibus geminis, flamine tam levibus."

Is tunc: "Arcessas propiores", inquit, "amorem quo anguntur miserans; ilicet et venient."

Cum prope curvat hiems: "Vos una o vortice lass!", clamito, "state, precor, si modo nemo vetat!"

Quales appropierant solito de more columbae, quo dulcis nidi fervida cura rapit,

penna praecipiti liquidoque per aëra lapsu; aethera non aliter transnatat horrisonum

mitis uterque preci Didonis ab agmine: tantum vox valuit, maestis qua resonabat amor.

"O animans, comis facie, sermone benignus, abdita qui peragras squalida regna, tuens

nos qui sanguinem quondam depinximus orbem; si staret summi Regis amicitia,

suave foret, nostri quoniam misereris amanter exitii, pacem sollicitare tuam.

Audiri et dici vobis accepta, vicissim fas est si, veluti nunc facit, aura tacet.

Flumina ubi Eridanus cum pace sequacia captat in mare discumbens, hic mea terra sedet.

Culti cordis Amor dux, forma hunc impulit uri dein mihi praerepta; qua nece pungor adhuc.

Me, quia reddit Amor, cum quisquis amatur, amantem, vulnere percussit, quod patet usque dolens.

Ambos mersit Amor: dirum, a quo vita perempta est nostra, Caina manet." Talia verba data.

Has laesas cum sensi Animas, me flectere frontem contemplans: "Quid agis mente?" magister ait.

"Qui dulces motus, dulcissima quanta cupido, his fuit" ingemui, "labis acerba via!"

Dein illis: "Recolens, Francisca, miserrima fata haec tua commoveor tristis itemque pius.

At cum dulcis erat spes, dic cur, quomodo, cordis vicerit ancipites ardor." Et illa mihi:

"Nullus in aerumnis horas meminisse beatas, heu! dolor exsuperat: dux tuus ipse monet.

Sed si tantus amor casus exordia nosse, non secus atque loquar, qui lacrimans loquitur.

Lansloti vicibus delectabamur amantis solus cum sola; pax erat alta loci.

Fabula saepe ciet visus vultusque dealbat, nos tamen una simul pagina perdomuit:

dum legimus cupidum supra ridentia labra figere amatorem basia tenta diu,

hic, qui a me nulla poterit iam morte revelli, os iunxit labiis corde tremente meis.

Exstitit et scriptor leno Galehotus et eius quae nobis tacuit charta remota dehinc."

Talia dum levis Umbra fremit, sic altera maerens fundebat lacrimas, ut pletate mihi

tunc fere sim visus subitae succumbere morti: et cecidi, veluti corpus inane cadit.

## Cur Latine discamus hodie...

sequitur p.2

**inspiratio trahatur ex humanismo scientifico, ut nostri aevi homines parentur ad quaestiones veras, quibus occurrunt, magnanimitate solvendas atque ad omnes professiones, opiniones culturasque respiciendas".**

Quis negabit hanc sententiam ex Franco-gallico sermone in Latinum vertere non tantum optimam mentis exercitationem esse sed etiam occasionem verborum inanitatem percipiendi?

Quid enim significat "humanismus scientificus"? Iam perdifficile est "humanismum" definire (cfr "L'humanisme, essai de définition", auctore Ferdinando Robert); unum tamen manet: "studia humanitatis", ut primus scribebat Cicero, in textibus classicis tantum nituntur; quid ergo hac in re significat "scientificus", cum sciamus hoc vocabulo hodie technicas tantum doctrinas designari? Deinde, quae sunt quaestiones verae quibus occurrunt nostri aevi homines? Silent "V. Th." auctores. Eorum loco respondere conabimur.

Maximi momenti res nunc temporis in nostris regionibus est aedificatio Europae. Gentes diversae quae hanc aedificationem participant in opere perficiendo tardantur sua quaeque singularitate culturali.

Francogallorum ei, qui extra suas fines vix itinera faciunt, sibi fingere possunt linguam Francogallicam, quae etiam est sermo patrius meus, adhuc esse praepollens vehiculum communicationis inter gentes. Infeliciter ei, qui, ut ego, frequentia itinera per totam Europam faciunt, statim comperiunt rem ita non esse. Recentissimum afferam exemplum. Ineunte mense Iunio habebatur Olisippone in Portugallia VII<sup>US</sup> Conventus Europaeus Radiologiae, quem adii, cum sim radiologus. Quamquam in his conventibus consuetudo semper fuit tres linguas officiales adhibendi, Anglicam, Francogallicam Theodiscamque, in conventu Portugallensi nuntiatum erat tantum duas linguas officiales fore, Anglicam et Portugallensem. Quo exemplo demonstratur, quale futurum sit, nisi expergiscamur, schema linguisticum Europae: permultas linguas regionales, ut ita dicam fossiles, habebimus, quarum solus arbiter erit sermo Anglo-Americanus, non solum vocabula nova sed etiam suum cogitandi modum imponens.

Oportet ergo Europaei non tantum litteras Graecas et Latinas, commune thesaurum, piissime colere pergant, sed necesse est iterum inter se linguam Latinam adhibeant, ut per multa superiora saecula factum est. Hac una condicione identitas Europaea emergere poterit ex regionum diversitate.

Ad quam viam monstrandam aptissimi sunt docentes. Ne dicant hoc fieri non posse; adeant potius et auscultent eos, qui in linguae Latinae usum renovandum iam diu operam dant. Corpus linguam Latinam docentium adhuc frequens est in plerisque Europae regionibus, sed de sua utilitate dubitat et de suo futuro valde timet. Discant ergo eorum audaciores et strenuiores usum linguae, quam docent, condant consociationem Europaeam, convocent undique docentes ad res suas Latine tractandas et mox multo maior fiet eorum fama et pondus. Tunc renovata Europaeorum spe praelucebit ver novum...

Gaius LICOPPE

(1) A.P.L.A.A.C., 11, Résidence Olympia, F-14000 Caen

(2) C.N.A.R.E.L.A., 25, rue au Maire, F-75003 Paris

## DE UNIONE EUROPAE POLITICA

sequitur p.5

est atque ea, ex qua omnes paene difficultates Europae Politicae Uniendae evadunt, ex pecuniarum quaestione dico.

a) Semper semperque Germani se ubique Europae pecunias solvere queruntur et ceteras nationes a Germania adiuvari contendunt. Quae reprehensiones quamquam falsae non sunt, tamen necesse est, ut videant et ii, qui Germaniae fines Occidentalis inhabitant, se multa ex istis pecuniis exhaurire utilia. Non enim sola illa spectare debemus, quae persolvimus, sed animis capere cogimur et ea, quae assequimur nanciscimur adipiscimur...

b) Galli vero in Communitate Europaea collaborare qui volunt, ex foedere Atlantico quod ad defensionem Europae territorii contra Communistarum Orientalium aggressiones constitutum erat egressi suas quasi privatas legiones sibi acquisierant. Quare sunt, qui Gallis et in Europa agentibus diffidant.

c) E Britannia vero sunt permulti, qui minima cum laetitia Unionem Europaeam adspectent. Socialistas Britannos enim inter omnes constat ex Unione ista quam celerrime egredi velle, quare? Quia istis persuasum esse videtur Britanniam a se ipsa adiuvari posse neque aliis Europaeis quicquam praebere - sed sicut iam dictum erat, illi quibus rationibus ab Europa Unita adiuventur nesciunt et quod peius est scire nolunt.

### V

Permulta afferre licet exempla, sed ad propositum finem prodeundum esse videtur.

Prorsus est necessaria Unio Europaea Politica. Multis et permagnis cum haec probari possit sententia, unam tantum rationem in lucem proferre mihi liceat rogo. Videmus enim omnes qui regiones Parlamentariorum Europaeorum inhabitamus et Americanos et Sovieticos si fieri possit collaborare velle: quibus vero collaborantibus quid fiet de Europa? Nonne cum et in re militari et in re oeconomica collaborent illi, nos Europaei minimi fietus? Praesertim cum et Nipponenses oeconomica vi nos superare videantur?

Equidem non vereor confiteri et profiteri: istis hodiernis condicionibus quibus mundus totus constringitur nihil aliud Europaei facere possumus nisi unionem. Occasio enim optima nunc est, quare illa non fruamur?

Egoismi nationum quicumque quantivecumque sunt superari possunt, si omnes finem unionis ante oculos sibi ponunt. In unitate enim robur existit, cum e diversitate eveniat infirmitas: qua infirmitate cum contra atheismum et communismum nosmetipsos nunquam defendamus, ex unitate virtus nobis praestabitur. Et sic, ut Ciceronis verba prosequamur et imitemur, "Europa bona est ea, quae prodest quibus potest, nocet nemini" et contra Ciceronis opinionem dicimus Europam bonam istam facile reperiri posse: Europa bona enim est Europa Unita, quae prodest omnibus, nocet nemini, et ea caret egoismis nationalibus et bonum commune intendit et Europae et Asiae et Africae et Australiae et Americae, id est: non sibi consulit, sed omnibus hominibus.



PRO CYRENENSES POPULARES, VOSTRAM EGO IMPLORO FIDEM, AGRICOLAE, ACCOLAE, PROPINQUI QUI ESTIS HIS REGIONIBUS, FERTE OPEM INOPIAE ATQUE EXEMPLUM PESSIMUM PESSUM DATE!

QUID ISTUC EST NEGOTI?



PER EGO HAEC GENUA TE OPTESTOR, SENEX, QUISQUIS ES...

QUID NEGOTI EST?



MULIERES DUAE INNOCENTES INTUS HIC SUNT, TUI INDIGENTES AUXILII, QUIBUS ADVORSUM IUS LEGESQUE INSIGNITE INIURIA HIC FACTA EST FITQUE IN VENERIS FANO. TUM SACERDOS VENERIA INDIGNE ADFLICTATUR.

QUIS HOMO EST TANTA CONFIDENTIA, QUI SACERDOTEM AUDEAT VIOLARE? SED EAE MULIERES QUAE SUNT? AUT QUID IS INIQUI FIT?



SI DAS OPERAM ELOQUAR. VENERIS SIGNUM SUNT AMPLEXAE; NUNC HOMO AUDACISSIMUS EAS DERIPERE VULT. EAS AMBAS ESSE OPORTET LIBERAS.



AT MALO CUM MAGNO SUO FECIT HERCLE. ITE ISTINC FORAS, TURBALIO, SPARAX! UBI ESTIS?

I OBSECCO INTRO, SUBVENI ILLIS.



ITERUM HAUD IMPERABO. SEQUIMINI HAC. PRORIPITE HOMINEM PEDIBUS HUC ITIDEM QUASI OCCISAM SUEM.





AUDIO TUMULTUM : OPINOR,  
LENO PUGNIS PECTITUR. NIMIS VELIM  
IMPROBISSIMO HOMINI MALAS EDENTA-  
VERINT. SED ECCAS IPSAE HUC EGRE-  
DIUNTUR TIMIDAE E FANO MULIERES.



TANTA INPORTUNITAS TANTAQUE  
INIURIA FACTA IN NOS EST MODO HIC  
INTUS AD NOSTRO ERO. QUIN SCELESTUS  
SACERDOTE M ANUM PRAECIPES REPPULIT,  
PROPULIT PERQUAM INDIGNIS MODIS, NOS-  
QUE AB SIGNO INTIMO VI DIRIPUIT SUA.



SEDETE HIC MODO ; EGO  
HINC VOS TAMEN TUTABOR. ARAM  
HABETE HANC VOBIS PRO  
CASTRIS : MOENIA HAEC ; HINC EGO  
VOS DEFENSABO.



TIBI AUSCULTAMUS ET, VENUS ALMA,  
AMBAE TE OBSECRAMUS, ARAM AMPLE-  
XANTES HANC TUAM, LACRUMANTES, GENIBUS  
NIXAE, IN CUSTODELAM NOS TUAM UT RECIPIAS  
ET TUTERE. ILLOS SCELESTOS, QUI TUUM FE-  
CERUNT FANUM PARVI, FAC UT ULCISCARE,  
NOSQUE UT HANC TUA  
PACE ARAM OBSIDE-  
RE PATIARE.



EXI E FANO, NATUM QUAN-  
TUM EST HOMINUM SACRILE-  
GISSIME. VOS IN ARAM ABITE  
SESSUM ... SED UBI SUNT?

HUC RESPICE.



OPTUME ; ISTUC VOLUERAMUS.  
IUBE MODO ACCEDAT PROPE. TUN  
LEGERUPIONEM HIC NOBIS CUM DIS  
FACERE POSTULAS? PUGNUM IN  
OS INPINGE.

# De arte typographica antiqua et moderna



Claudius PIGA I. Carolus ROSSI  
Photographema die 24<sup>o</sup> m. Aprilis factum inter circuli  
Latini Mediolanensis sessionem ad quam  
participandam invitati erant P.C. Eichenseer et G.  
Licoppe.

Anno Domini millesimo quingentesimo circiter, ars impressoria iam inventa, sed nondum matura erat ad imagines pictas -maxime multicolores- edendas.

Tunc temporis complures artifices operam dabant libris conficiendis: scriptor librarius (seu amanuensis) imprimis, inde rubricator, ac tres pictores minutis picturis. Primus pictor nuncupabatur -in Gallia et Hollandia- "enlumineur": pensum ei erat de litterarum capitibus exarandis, etc. Secundo pictori minutis picturis pensum erat de floribus, ornamentis, etc., pingendis: hic nuncupabatur "vigneteur" (nomen mutuatur a verbo francogallico "vigne" quo clematis nominabatur). Tertio pictori minutis picturis, qui nuncupabatur "historieur" pensum erat de historiis pingendis. Hodie, exemplaria huiusmodi librorum nondum manu efficiuntur, sed exarari possunt automaticè (i.e. machinale ratione) ope artis impressoriae (cui inest ars typographica).

Insequens pars huius dissertationis esse vult commentarius de ortu ac progressu huius artis.

Primi libri, qui impressi sunt ex typis metallicis qui, ut ita dicunt, moveri possunt, ab ortu artis typographicae usque ad annum MDXX (millesimum quingentesimum vicesimum) "**incunabula**" nuncupantur. Hoc nomen est inventio Mallinkroti qui, cum librum scriberet anno MDCXL (millesimo sescentesimo quadragesimo) cui nomen *De ortu et progressu artis typographicae*, sic appellabat primos libros: "**prima typographiae incunabula**".

Ars typographica inventa est anno MCDXLII (millesimo quadringentesimo quadragesimo altero). At tempus inventionis incertum est, quod inventio primitus tacita tenebatur.

Igitur, in librorum divinatorum (i.e. Biblorum)

editione vetustissima, nec tempus editionis, nec nomen typographi inscriptum invenimus. Novimus autem, per testificationes obliquas, tempus editionis fuisse anno MCDLVI (millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto). Agitur vere de Biblis qui non numquam dicuntur "Bibli quadraginta duorum versuum", editis typis typographicae officinae Guttembergi. Is dicitur inventor fuisse artis typographicae in Europa. Praeterea novimus triginta quinque exemplaria huius editionis impressa esse in membranulis, centum sexaginta quinque in charta. (fig. 1)

lapidauerūt. Iterū  
plures prioribus: r  
ter. Aquissime aut  
lūm suū dicens: ut  
A mīcole aut mīdet

Characteres (seu typi) a Guttembergio delineati,  
quibus editio vetustissima Biblorum exarata est, a<sup>o</sup>  
MCDLVI.

Litterarum capita et ornamenta manu picta sunt post litteras impressas. De inventione artis typographicae, Trithemius -vir doctrina ornatissimus, qui vixit paulo post artem impressoriam inventam, sic ait: "iis temporibus, in civitate Moguntina Germaniae prope Rhenum ... inventa et excogitata est ars illa mirabilis et prius inaudita imprimendi et characterizandi libros, per Johannem Gutenberg Moguntinum; qui, cum omnem poene substantiam pro inventione huius artis exposuisset et nimia difficultate iam in isto, iam in illo deficeret, iamque prope esset ut desperatus negotium intermitteret, consilio tamen et impensis Johannis Fust, aequae civis Moguntini, rem perfecit inceptam ..." Paucis annis post, Guttembergio et Fausto societate iunctus est Petrus Shoeffler (re vera Latine appellabatur Petrus Opilio).

Anno MCDLV (millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto) Gutbergius litem Johanni Fausto instituit, de pecunia impendenda et dividenda, sed causa cecidit et Argentoratum (quae civitas appellatur etiam Strateburgum) se contulit, ac alteram officinam typographicam ibi instituit.

Post causam, ars typographica non amplius secreta est, quod facile intellegi potest. Gutenberg, discedens Argentorato, Harlenium (i.e. Harlem), in Hollandiam, se confert, ac ulteriorem officinam typographicam instituit. Sic ars typographica in Hollandia orta est.

In Italiam ea ars inuenta est anno MCDLXV (millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto), a duobus Germanicis typographis, Schweynheyn et Pannarz, qui eam exercuerunt, initio in monasterio Sublacensi, non longe Roma, deinde ipsa in Urbe.

Rursus Germani fuerunt illi typographi qui invexerunt artem in Galliam, anno MCDLXX (millesimo quadringentesimo septuagesimo).


In Britanniam, contra, ars typographica inuenta est a viro Britannico, William Caxton : artem didicerat in Germania, Coloniae Agrippinae (sive Köln), et eam exercuit Brugis; posthac officinam typographicam instituit in abbatia Westminsteri, Londini.

Angelus Roccha negat Sinenses novisse artem typographicam ante Gutembergium. Sic iste memoriae tradit, in commentario edito anno MDXCI (millesimo quingentesimo nonagesimo uno): "... typographica vero ars quae in Sinarum regno exercetur distat a nostra : ea enim non habet characteres ex plumbo ac stanno conflatos, quibus utuntur nostrates ...". Novimus autem hoc verum non esse : immo typi metallici, qui moveri possunt, non ignoti erant in Sinis et Corea, iam in saeculo millesimo quadringentesimo. Quod cum ita sit, Gutembergi gloria non deterior videtur.

Praesertim Gutembergio laus est quod composuit artes quasdam peritiasque quae illo tempore in promptu erant, et eas perfecit ad chartam exarandam automaticae. Gutembergus ipse aurifex erat et ab aurificis arte mutuatus est peritiam utendi formis et matricibus.

Ope formarum enim Gutembergus primum impressit figuras litterarum alphabeti in laminis metallicis, cui nomen matricis; deinde inclusit matricem in modulis, quibus infudit conflatum metallum, plane temperationem plumbi nigri et albi.


Tum typi extrahuntur ex modulis; omnes sunt pari magnitudine et alter altero commutari potest. Ex singula summa matricum (e.g. centum) typographus conflare potest omnes typos (e.g. quattuor milia) quibus ei opus est ad imprimendam singulam paginam. Iisdem typis utitur ad imprimendum totum librum, qui compositum potest esse, e.g. ex decies centenis milibus litterarum, si liber constat, e.g. ex ducentis quinquaginta paginis.



*Tabula typographi: casa superior colligit characteres maiusculos, inferior minusculos.*

Typi colliguntur in tabula typographi, quae consistit in duabus capsis: superior colligit characteres maiusculos, inferior minusculos. Revera hi characteres dicuntur anglice *upper case* et *lower case*, i.e. superior et inferior capsula. (fig. 2)

Typographus tollit typos ex tabula et collocat eos singulatim in regula compositionis, brevi spatio intermisso inter eos, si opus est; illinc typi transferuntur in quadrum cui nomen forma compositionis (fig. 3). Tum typographus constipat typos ac eorum summam superficiem perfundit atramento. Gutembergus, inter alia, atramentum crassum expedit, praecipue aptum ad artem impressoriam.



*Regula compositionis, quo typographus collocat singulos typos, qui includendi sunt in forma compositionis.*

Nunc charta superponitur formae impressionis et ope preli (dicitur etiam torculum) premitur contra summos typos eminentes ex forma. Prelum, quo Gutembergus usus est, idem est quod Romani induxerunt in regionem Rhenanam mille aliquot annis ante, aptum ad uvas conculcandas et a Gutembergio accomodatum ad artem typographicam. Cum charta impressa sit, typographus tollit typos ex forma, eosque refert in tabulam.

Primi libri, qui impressi sunt, non carebant picturis: typographi utebantur enim arte xylographica, quae cognita erat in Europa a saeculo millesimo quadringentesimo. Fuit ista ars usitatissima ad picturarum exemplaria edenda, usque ad saeculum millesimum sescentimum, i.e. quoad ars calcographica emittit.

Arti xylographicae, opus est duabus translationibus: altera, quae singula est, ex pictura chirographa ad tabulam ligneam; et altera, quae serialis est, a tabula ad chartam. Translatio ad tabulam efficitur ope speculi et circini, quo picturam artifex metitur. Deinde lignum inciditur ubicumque atramentum non est accipiendum. Nota: translatio utraque efficit inversionem picturae; facile intellegitur exitum duarum inversionum recte versum esse. Ars xylographica sociari potest arti typographicae: in xylographia enim, ut in typographia, atramentum transfertur ad chartam ex superficie eminente, in tabulam ligneam insculptam.

Ut pictura a ligno transferatur ad chartam, typographus utitur eodem prelo quo ad characteres imprimendos. Si pagina habet et figuras et characteres, tabula xylographica potest inseri in formam compositionis, una cum typis.

Xylographicis picturis color poterat induci : sed hoc manu efficiendum erat.

Character inventus a Gutembergio "textura" dicebatur ob litterarum et verborum densatam compositionem. Imitatio erat litterae gothicae qua utebantur scriptores librarii ad libros liturgicos exarandos. Textura convertetur in litteram cui nomen "fraktur" qua usum est initio ubicumque, postea modo in Germania et in illis regionibus ubi correctio disciplinae Christianae facta est. In reliqua Europa praevaluit littera "romana" sive, ut ita dicitur, "antiqua".

Littera gothica deseretur in Germania, publica auctoritate, anno millesimo nongentesimo quadragésimo uno.

Britannia deseruit litteram gothicam anno millesimo sescentésimo undécimo. Dania et Suetia a medio saeculo octingentesimo.

Littera antiqua exoritur a littera "capitali quadrata" qua Romani utebantur in inscriptionibus, et a littera minuscula quae a Carolo imperatore nomen accipit. Grammatici italici, qui humanitatis studia profitebantur, decreverunt litteram antiquam maxime idoneam, ad monumenta antiqua imprimenda.

In Gallia quoque in usu est littera antiqua : nam qui primis typographis negotium mandaverant, iis consilium erat propagandi studia humanitatis ope artis typographicae.

Aldus Manutius, typographus Venetis, qui muneri Nicolai Jenson successit, et accepit eius formas et matrices, expedit litteram cursivam, i.e. tenuiorem et paulum inclinam, quae dicitur etiam "italica". Sculptor Franciscus Griffus fuit Manutio adiutor praestantissimus : hic memoratur in Hispanico sermone, quo littera cursiva dicitur "grifa".

Littera cursiva oritur e littera qua utebatur ille poeta, Petrarca, in chirographis, i.e. sua manu scriptis.

Alii magistri, memoria digni, qui deformaverunt rationem characterorum in temporis intervallo a millesimo sescentésimo usque ad millesimum nongentesimum saeculum fuerunt : Garamond, Grandjon et Grandjean in Gallia, van Dyck in Hollandia, Baskerville in Britannia, atque Bodoni in Italia.

Characteres quibus typographi hodie utuntur complures sunt; mos est, expediendi causa, eos colligere in quattuor familias : scipiones, romanos, aegyptios et fctos. (fig. 4)

In Europa renatarum litterarum non modo litterae latinae, sed etiam graecae deformatae sunt.

Excogitata est item littera graeca cursiva, sed primi exitus non fuerunt satis iucundi, nec illi Manutii, nec Garamondi. Quod factum est cum typographi sibi proposuissent ad imitandum litteras grammaticorum peritorum graecae linguae, qui illo tempore vivebant. Re vera eae litterae minime legi poterant causa lineolarum ac contractionum. Primus qui attigit exitus probabiles fuit Arrigus Stephanus, in Gallia, anno MDLIV (millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto). (fig. 5)

## ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ ΜΕΛΗ

α'. Εἰς λύραν.

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας,  
θέλω δὲ Κάδμον ἄδειν·  
ἀ βάρβιτος δὲ χορδαῖς  
Ἔρωτα μῦνον ἤχει.  
Ἡμεῖψα νεῦρα πρῶην,  
καὶ τὴν λύρην ἄψασαν·  
καὶ γὰρ μὲν ἦδον ἄθλους  
Ἡρακλέους· λύρη δὲ  
Ἐρώτας ἀλεφώνει.  
Χαίροίτε λοιπὸν ἡμῖν  
ἦρωες· ἡ λύρη γὰρ  
μόνους Ἐρώτας ἄδει.

Fig. 5: Exemplar typorum Graecorum, qui delineati sunt a Bodoni typographo Parmensi, exquisito nitore ornatu, praesertim quod attinet ad crassitudinem linearum plus minusve spissarum, ut Winkelmann postulabat. sequitur p.16

<b>Recta</b>	AUGUSTEA	Egizio	<b>Ritmo</b>
<b>Recta</b>	AUGUSTEA	Egizio	<b>Estro</b>
<b>Recta</b>	Garaldus	Egizio	
MICROGRAMMA	Garaldus	<b>Egizio</b>	
MICROGRAMMA	Garaldus	Landi	
MICROGRAMMA	Garaldus	Landi	
<b>MICROGRAMMA</b>	Garaldus	<b>Landi</b>	

Fig.4: typi possunt -pingui, ut aiunt, Minerva- colligi in quatuor familias: scipiones, romanos, aegyptios et fctos.

## Qua ratione hodie discipuli Finni Latine erudiantur.

*Professor Ericus PALMEN hanc epistolam ad Melissam misit:*

Magno afficior gaudio, quod mihi hos sex libros communi titulo *Ad fontes* inscriptos, quorum ex auctoribus unus sum, ad Te mittere licet; credo enim Tibi gratum esse certiore fieri, quam ratione hodie discipuli scholarum Fennicarum elementis linguae Latinae et radicibus animi culturae occidentalibus erudiantur.

Hi libri, qui in officina typographica rei publicae Fennicae (Valtion painatuskeskus) impressi sunt, in scholis Fennicis triennio perleguntur. Duas in series dividuntur, quarum una textus Latini et prolegomena eorum Fennice scripta, altera ars grammatica et exercitia continentur. Textuum Latinorum duo sunt genera: unum quod textus principalis (perusteksti), alterum quod textus extensivus (ekstensiivinen teksti) aut pensum extensivum (ekstensiivinen tehtävä) vocatur; quorum illis discipuli ad fundamenta artis grammaticae, his ad celeriore legendi consuetudinem inducuntur.

Vocabularia ad singulos textus pertinentia plerumque ex tribus columnis constant, quarum una vocabula Latina, altera eadem in linguam Fennicam translata, tertia varia cum vocabulis Latinis cognata et ex iis derivata commemorantur; nam nobis Fennis maximi momenti est etiam, quicquid studia Latina ad hodiernarum linguarum notitiam augendam praebent, diligenter carpere.

Sat sapienti: non est dubium, quin ex singulis capitulis Latinis necnon ex titulis singulorum cursuum et singularum partium Tibi appareat, quas rationes in his libris componendis secuti simus. Spero fore, ut in iis nonnihil materiae inventiatur, quod vel extra Fenniam praeceptoribus linguae Latinae usui esse possit.

Equidem iam sex et viginti annos lectoris linguae Latinae munere fungor in eadem Universitate Jyväskyläensi (sive Granivicensi), ex qua professor Thomas Pekkanen mense Martio Bruxellas adveniet, ut de Kalevala Latina disserat.


Tibi omnibusque ibi amicis linguae Latinae omnia fausta et felicia ex intimo pectore exopto. Cura ut valeas!

Datum Granivico Idibus Februariis anno MCMLXXXVII.

*Rogavimus Iacinam VERREET, optimam Melissae sodalem, ut attente hos libros inspiceret et lectoribus explicaret quo in animo conscripta essent:*

**AD FONTES**, Kallela, Paananen, Palmén, Oksala, Helsinki, 1981.

Primum ad hanc methodicam bene percipiendam nonnulla de studiis in Finlandia exponenda sunt, quae Ericus Palmén, unus ex auctoribus librorum *AD FONTES*, ipse mihi libentissime tradere voluit: "Hi libri ad usum eorum compositi sunt, qui peracta schola quae dicitur principali circiter sedecim aut septendecim annos nati in gymnasium - id est in



supremum gradum scholae Fennicae - transeunt, ut in eo per triennium ad examen maturitatis et ad studia academica se praeparent." Praeterea in gymnasiis Fennicis omnes disciplinae non simul discuntur, aliae docentur dum aliae in "quiete" positae sunt. Singulae duodequadragesis horis peraguntur, quae in spatio senarum hebdomadarum collocatae sunt.

Sex libri *AD FONTES* I, II, III, in duas series divisi sunt:

- A - tekstiit (textus Latini) - kulttuuritausta (prolegomena culturalia)
- B - kielioppi (ars grammatica) - harjoitukset (exercitia)

Cursus ipsi sunt novem, qui omnes e pluribus partibus constant. Et cursibus et partibus proprii sunt tituli Latini e quibus summatim apparet, quanam res iis tractentur.

*AD FONTES* I, ad usum discipulorum primi anni:

*Liber A:* primum quaeque res cursus Fennice cum photographematibus exposita est (Italia, Roma, monumenta praecipua, instituta, mores). Deinde textus Latinus ipse sequitur, ut fabula attractiva compositus, iuxta quem translatio Fennica adiuncta est. Vocabula textus infra explicata sunt. De eadem re tunc imagines cum brevibus sententiis et colloquia inter pueros, cum quaestionibus in fine, proposita sunt. Cursus igitur modo iucundo, amplissimo et vario confecti sunt. In fine index omnium vocabulorum additus est.

sequitur p. 15

*Iohannes Granata, investigator Italus, qui Aquae Sextiae in Provincia residet, ad Melissam hanc epistulam misit:*

## De linguis Europaeis.

Scriptum de tribus linguis inter se certantibus in fasciculo XVI horum actorum diurnorum, mense Ianuario anno 1987°, perlibenter legimus. Pauca tantum animadvertimus.

1) Scriptor linguae Gallicae omnino oblitus est, quae lingua in Communitatibus Europaeis maxime adhibeatur, et Bruxellarum, Lucemburgi et Argentorati (Gallice Strasbourg), sedium Institutorum Europaeorum (exempli gratia, Curationis et Legumlatorum Coetus), lingua communis sit. Hoc evenit historiae causis, cum anno 1957°, quo anno Pacta Romana inter Bataviam, Belgicam, Galliam, Germaniam Confoederatam, Italiam et Lucemburgum obsignata sunt, lingua Gallica praecipua inter has res publicas esset.

2) Europaei in quattuor turmas dividi possunt:

a) Angli, Batavi, prima dimidia pars Belgarum, Dani, Hiberni: 846 centena milia incolarum, quae turma linguae Anglicae partibus favere videtur;

b) altera dimidia pars Belgarum, Galli, Lucemburgenses: 605 centena milia incolarum, quae turma linguae Gallicae partibus favere videtur;

c) Germani Confoederati: 610 centena milia incolarum;

d) Graeci et reliqui Latini (Hispani, Itali, Lusitani): 1163 centena milia incolarum.

Ab his historiae causis et populorum rationibus (1,3) solutio potis videtur, sicut in Helvetia, tres linguas iure pollentes haberi posse: Anglicam, Gallicam et Latinam, quia, plusquam linguae Esperanto, quae dicitur, linguae Latinae partibus ultima turma, aut etiam ultimae duae turmae rerum publicarum (1163 aut etiam 1163 + 610, id est 1773 centena milia incolarum) favere posse videntur (harum rerum publicarum turma ingentissima est et Germaniam Confoederatam et Italiam continet, quae globo sex conditorum (vide supra) intersunt). (2)

Re, non cogitatione haec lineamenta nobis approbari videntur, praesertim cum unaquaeque harum trium linguarum magni momenti sint: Anglica, quae maxime in mundo adhibetur (qua 4310 centena milia hominum plus quam decem annorum anno MM utentur); Gallica, historiae Europaeae causis (qua 2310 centena milia utentur); Latina, mater tot linguarum, quibus 9840 centena milia utentur (Hispanica 4030 centena milia, Lusitana 2610 centena milia, Italica 580 centena milia, Dacoromanica 310 centena milia). (3)

Sinite denique me duo facta, quae abhinc triginta annos evererunt, narrare. Socius quidam Societatis Iesu iter cum aliquibus discipulis in Italia faciebat. Cum tantum Latine et Anglice loqueretur, cum sacerdote Gallo Latine locutus est... Contra sacerdos Batavus sacerdoti Siculo nomine Carolo Lalicatae (Italice Lalicata) ipsi quaerenti num secum Latine loqui vellet respondit: "Sufficit in sacro Latine loqui!" ...

(1) Haec rationaria anni 1985<sup>i</sup> Institutum Patrium Rationum et Aerariarum Scientiarum (Gallice INSEE), Institutum Patrium Descriptionis Populorum (Gallice INED) et Temperatio Nationum lunctarum (Gallice ONU) ediderunt.

(2) Idem a turmis a et b sperari non posse videtur (vide exempli gratia sententias aliquorum Gallorum in paginis I et II fasciculi XVIII horum actorum diurnorum).

(3) Hae rationes in libro illo Gallico, cui titulus "Quid", anno 1987° edito, in paginis 103 et 786 legi possunt. Robertus Laffont Lutetiae Parisiorum edidit. Dominicus et Michaëla Frémy scripserunt.



## Phonocaséta duódecim lectionum Nataliciarum quondam liturgicarum

Cantantur quidem adhuc in multis populis Latini cantus ecclesiastici, quamvis multo rarius quam ante Concilium Vaticanum Secundum (1962–1965). Sed tales cantus in diversis populis secundum eorundem consuetudinem pronuntiationis profertur, atque id quidem ibi quoque, ubi recentior pronuntiatus Romanus vel Vaticanus in usum inductus est, qui in Francogallia vel Hispania vel Britannia vel America vel Canada vel alibi aliter sonat atque in Italia. Sed in Italia quoque Latini pronuntiatus non est uniformis perfecta. Ceterum illa fabula (sive pia sive impia), qua dicitur Romae iam quarto saeculo p. Chr. n. eadem pronuntiatus ratio in usu fuisse, qualis saeculo vicésimo ibidem adhibetur, fundamentis caret. Illam enim opinionem tabulosam anno 1962° ab Antonio Bacci, Patre Cardinali, propositam eodem anno Albertus Vaccari, ecclesiasticus vir Romanus litteratissimus, argumentis satis firmis redarguit et refutavit, quippe qui demonstrasset pronuntiatus Latinum Patrum Ecclesiasticorum pronuntiatus Latinitatis aureae multo propinquiores similibus fuisse quam recentioribus pronuntiatus diversis nationalibus.

Propter haec argumenta aliasque causas graves cantantur duodecim lectiones Nataliciae cantus Gregoriani phonocaseta exhibitae Latino pronuntiatu restituta, id est antiquo. Ita illae lectiones liturgicae officialiter quasi abrogatae non solum ab oblivione vindicantur, verum etiam sonoritas maxime mirabilis pronuntiatu vere Latini percipitur euphonia mira quantam commendabilis. Denique libelli textualis proemio singula fusius explicantur. Ibi melodiae quoque lectionum exhibentur verborumque vocales (non syllabae) sive breves sive longae diligenter signatae. Est ergo experimentum huius generis primum et singulare atque vere Latinum, idque superexcellenter (SALV., saec. V) sonorum. Pretium huius phonocasetae (50 minutarum) DM 12.—, Pretium libelli textualis (40 paginarum) DM 5.—.

## Phonocaséta de pronuntiatu Latino



## De pronuntiatu Latino (acroasis cyclica)

Acroasis cyclica, quam Prof. Dr. Maximilianus Mangold, magister phoneticus praeclarissimus, anno 1986° tam Mogontiaci quam Saraviponti fecit, hac phonocaseta continetur.

Primo tales pronuntiatu Latini exhibentur, quales in Britannia et Francogallia et Italia et Germania et Basileae (in Helvetia) circiter iniens saeculum vicesimum decenniisque posterioribus in usu erant.

Deinde restitutus (qui dicitur) pronuntiatu praebetur, qualis ab Americanis et Anglis et Francogallis effertur, qui tamen quasdam proprietates proprii systematis phonetici retinuerunt. Postea de pronuntiatu nequaquam uniformi, immo vario et contradictorio, ecclesiae catholicae agitur atque de locutoribus stationis radiophonicae Vaticanae plus minusve inter se diversis.

Denique condiciones scholares et academicae (sive universitariae) perstringuntur paucisque tractantur.

In conclusione finali necessitas ostenditur Latinum systema phoneticum noscendi pronuntiatumque Latinum perseveranter exercendi.

Quae verba solleter composita Prof. Dr. Maximilianus Mangold, magister phoneticus celeberrimus, dictione diligentissima, neutiquam rhetorica, mirum in modum perceptibiliter profert. Hanc acroasin qui perciperit, is de quaestionibus pronuntiatu vere Latini melius iudicare sciet simulque habebit, quod peropportune perutiliterque imitetur.

Pretium huius phonocasetae (45 minutarum) DM 12.—, Pretium libelli textualis (20 paginarum) DM 5.—.

## Societas Latina

Inscriptio cursualis: Universität - FR 6.3, D-6600 Saarbrücken 11

## DIDASCALICA

sequitur p. 13

*Liber B:* res grammaticae explanatae sunt, textus Latinus libri A cum accentibus et quantitate syllabarum scriptus est, exercitia varia (sententiae complendae, verba addenda, quaestiones resolvendae, textus componendi infra imagines...) sunt proposita. Postremo tabulae ad unamquamque rem grammaticam pertinentes modo clarissimo exstructae sunt. In fine libri omnes tabulae sunt resumptae.

Hi libri primi quinque declinationes, adiectiva prioris et alterius seriei, omnia tempora quinque conjugationum atque verborum esse, posse, velle, ferre, modis indicativo, subiunctivo, imperativo, infinitivo et participiali vocis activae atque tempora vocis passivae, quae participio perfecto composita sunt, continent.

Pluribus de causis haec methodice optima mihi videtur, nam exercitia multa et diversa proponuntur, lingua Latina viva apparet, et res grammaticae optime distributae sunt (singuli casus in omnibus declinationibus separatim explicantur et tempora in conjugationibus in vicem apparent).

### AD FONTES II. ad usum secundi anni:

Res simili modo expositae sunt. In libro A narrationes et scripta auctorum antiquorum (Caesaris, Taciti...) apparent, deinde colloquia efficta sunt ubi personae textus superioris inter se loquuntur, exempli gratia, infra textum in quo Sabinarum raptus narratus est, colloquium inter Romulum et Sabinos compositum est.

Res praecipuae sunt regnum, respublica, imperium, viri summi, Cicero, Cato, Caesar, Augustus.

*Liber B* eadem ratione ac primus confectus est, cum tabulis grammaticis et exercitiis (inter alia exercitia de numeris, de computationibus mathematicis et de digestionibus annorum).

Res grammaticae librorum secundorum sunt vox passiva, verba deponentia, gerundium, participiale nomen, usus casuum, propositio infinitiva et coniunctio historica *cum*.

### AD FONTES III. ad usum tertii anni:

*Liber A* in tres cursus divisus est: primum textus scriptorum antiquorum, Ciceronis, Ovidii, Plinii, Sallustii et Horatii collecti sunt, deinde Latinitas per saecula exposita est - Latinitas vulgaris, christiana, mediaevalis, temporis renascentis, temporum recentium; postremo sub titulo "nosce te ipsum" philosophia antiqua et humanitas per scriptores antiquos explicatae sunt.

In libro B omnes propositiones coniunctivae (interrogativae, temporales, causales, concessivae...) enumeratae sunt; ad hoc usus diversi conjunctionum *ut*, *ne*, *cum* et ceterarum collecti sunt. Exercitia multa et textus transferendi etiam proponuntur.

In summa sex libri AD FONTES mihi optime concepti esse videntur. Lingua Latina velut quaelibet lingua externa modo vivo tradita est, difficultates grammaticae pro aetate discipulorum gradatim distributae sunt, documenta - textus et photographemata - mores populi Romani et vitam scriptorum antiquorum et recentiorum illustrant, et, res rarissima, Latinitas tota usque ad saeculum nostrum descripta est.

Jackie VERREET,

magistra in Montium Athenaeo Regali.

## Bene sapiat !

### Pullus Numidicus

Quomodo haec Apiciana compositio effici possit: Collige:

- 1 pullum
- piper, cuminum, coriandri semen.
- 20 palmulas
- 1 c. nucleorum
- 1 c. aceti
- 1 c. mellis
- 1 c. gari
- 1 c. olei
- 1 c. amuli
- 50 gr. aquae.

Pullum in aquam frigidam pone et fac bulliat per 15 minutas. Tum pullum aufer. Eum pipere asperge et assa in furno calido per unam horam. Collige partes iuris. Cum ferbuerit, amulo obliga et pullum perfunde.

## De arte typographica

sequitur p. 12

Post medium saeculum sescentimum in arte typographica corroboratur ratio partitionis operum: typographus enim commoditatem percipit ex formis et matricibus emendis, potius quam ex iis conficiendis.

Igitur opus est typis commutandis inter se. Plane, oportet excogitare modum ad typos metiendos, aequabilem in omnes typographos.

Praesertim opus est modo ad "corpus" typorum metiendum. Corpus, i.e. magnitudo typli, hic significatur ope litterarum Co: est magni momenti in ratione ducenda paginarum. (fig. 6)

Haec mensura notatur "punctis" typographicis. In Europa, punctum "Didot" statuitur, quod nomen accipit ex illo typographo franco gallico qui operam dedit ad modos typographicos redigendos. Punctum Didot patet 0,376 mm. (trecentas septuaginta sex millesimas partes millimetri).




Fig. 6: magnitudo typorum nuncupatur "corpus" (Co) et existimatur ope "punctorum typographicorum".

Claudius PIGA  
Italus

sequitur in proximo numero

*haec ad nos scripsit Genovefa Immé:*

Alteram Melissae emissionum phonocasetam magno cum gaudio audimus. Unde incipiam ad singulas delectationes enumerandas nescio...

Primum vero, ut ab eo incipiam quod et temporum ordine (quod "chronologice" Graece dicitur) principio auditur, Melissae phonocasetarum auditores, qui iam priore phonocaseta delectati sunt, valde iuvat, quemadmodum in televisione radiophoniae de solitis emissionibus solent, sic in Latinis Melissae emissionibus sibi caris quoque indicativum signum sonorum recognoscere: illos dico modos, qui a Rimsky-Korsakov "Fuci volatus" inscripti sunt et tam sapienter quam eleganter a vobis, amici, electi sunt ut Melissae apud Latinae vestrae volatum atque Latina vocabula in omnes orbis terras per vos involantia significaretis.

Dein, ut materias huius phonocasetae proprias ipsas adeam, maxima varietas regnat, quae maxima delectatio dici esse potest: nam IN VARIETATE, ut Epicurei aiunt nec non ceteri quicumque vita frui sciunt, VOLUPTAS! Concinne enim in hac phonocaseta alternant seria faceta, verba musicales modi, orationes colloquiae fabella comica. Immo ut argumenta, sic loquentium recitantium canentiumve hominum voces variae sunt.

Quid inter tot lepida lepidissimum sit difficile est dictu. Valde iuvat Valahfridum Stroh et de Frisingensibus Ludis Latinis in loco ipso dicentem et de futuris spem consiliaeque sua nuntiantem audire, dum festivitatis Ludorum ipsorum soni vix tenuati ad aurem perveniunt: haec est vera ars diurnaria, hoc verum notitiarum aucupis opus. Nam cum ad loca ipsa, in quibus aliquid extraordinarii fit, ipse veharis ut homines illarum rerum insolitarum auctores participesve interroges, et cum eorum voces imprimas ut eas nobis transmittas per varias orbis terras, vere egregium rerum Latinarum aucupem diurnariumque te, o Gai, praebes atque aeternam Latinitatem adeo vivam et hodiernam ostendis ut eodem modo de eius rebus homines omnis generis moneas quo ceteri diurnarii de caducis politicis socialibusque huius aetatis rebus agere solent.

Propter has causas incipiens hunc titulum "Praeclare, Melissa" scribere volui: praecclare enim et feliciter conclamamus et conclamitamus: Perge illam viam qua ad delectationem instructionemque hominum ire coepisti.

Similis laus iteranda nobis est, quod Patrem Caelestem Eichenseer et Iohannem Paulum Bauer et Andream Fritsch ad "tabulam rotundam"

considerantes interrogasti de argumentis variis, quae vero omnia ad Latinitatem hodiernam pertinent. Nec non iteranda similis quoque laus, quod de novis operibus, sive sunt litteraria sive musicalia sive didactica, in hac phonocaseta audienda utilissime monemur: de arte musica non solum Valahfridi Stroh responsa sed etiam excerpta ipsa, quae de Novakianis compositionibus audienda oblata sunt (et pars "Didus" operis, et pars "Mimi magici" e Bucolico Vergili carmine VIII<sup>o</sup> extracti) vero incitamento sunt ut tota opera audire cupiamus; de arte didactica, etsi omnibus bene notum est me et Antoninum meum de variis pronuntiandi modis non disputandum esse existimare, tamen, ut liquet, verum veri diurnarii opus rectissime perfecisti cum Iacinam Verreet, novi libri de pronuntiatione editi aucricem, interrogares; nam quaecumque nuper facta acta dicta scripta cantata impressa ostenta edita (vel nescioquae in "-ta" desinentia) sunt, haec nobis Latinitatis vivae amatoribus amantissimis nuntiare et proponere optimum est. De litteris delectabilissima sunt excerpta orationis quam Thomas Pekkanen de "Kalevala Latina" sua Bruxellis in Aedibus Europaeis habuit; nec solum litterarius ille eventus est, sed vere (ausim dicere) socialis et politicus, quoniam per te Gaium fieri potuit ut talis conventus in Aedibus Europaeis haberetur atque ut Livius Missir legatus Europaeus in eis Latinam orationem diceret: ille enim eventus Latinus, ille eventus Europaeus maximi momenti fuit! Phonocasetae auditores facere non possunt quin valde commoveantur cum illas orationes Latinas in sede Europaea publice dictas audiant!

Hoc praeterea velimus persignare et propria laudare quod in hac eadem phonocasetam, in qua recensens est liber de pronuntiatu restituito scriptus, impressa est haec quoque Missiriana oratio Italico pronuntiatu habita: unde apparent duae res quibus aequae gaudemus: et quam iusti aequique vos, Melissae amici cari, sitis, et quam vanum pronuntiationum bellum sit, cum mutue intelligere tam facile sit.

Restat ut memorem alium phonocasetae leporem: Erasminam comoediolam a R. Capelle et J. Rossignol et Th. Sacré et M. Smets iucundissime recitatam et actam: per hanc, gravium argumentorum doctrinae et artificiosae modorum musicalium delectationi risus hilaritasque additur.

Unum periculum in hac phonocaseta esse dico hoc: ne auditores impatientius tertiam exspectent, tam iucundae et prima et haec altera sunt!

**Hic numerus 19<sup>us</sup> est ultimus praesentis subnotationis.**

Sequens subnotatio constabit ex octo numeris, atque extendetur usque finem anni 1988<sup>1</sup>. Nam, facilitatis causa, statuimus futuras subnotationes ineunte quoque anno incohare.

Subnotatio in quartum annum (87-88) constat

**400 francis Belgicis  
pro octo numeris (20-27)  
quocumque mittantur.**

Pecunia mittenda est ad hunc computum mandatorum cursuallium:

**"Amici Melissae"**

Bruxellis CCP: 000-1484533-45.